



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XV. Loco concubinæ discedentis, ex qua filium susceperat, aliam urgente libidine se procurasse.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## V S V S.

Multum conducit ad veræ Sapientiæ studium rei familiaris & uxoriæ abdicatio. Expertus est hoc S. D. cum suis, cum quibus in vitam communem conspirasset, nisi Feminae intercessissent. Vere dixit S. Paulus, *qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori (quomodo procuret rem familiarem) & divisus est.* 1. Cor. 3.  
32.

## C A P. XV.

*Loco concubinae discedentis, ex qua filium suscepit, aliam urgente libidine se procurasse.*

I. **I**Nterea peccata mea multiplicabantur: & avulsa à latere meo, tanquam impedimento conjugii, cum qua cubare solitus eram, cor ubi adhærebat, concisum & vulneratum mihi erat, & trahebat sanguinem. Et illa in Africam redierat, vovens tibi alium se virum nescituram, relicto apud me a naturali ex illa filio meo. At ego infelix, nec feminae imitator, dilationis impatientis, tanquam post biennium accepturus eam, quam petebam; quia non amator conjugii, sed libidinis servus eram, procuravi aliam, non utique conjugem: qua tanquam sustentaretur & perduceretur, vel integer vel auctior morbus animæ meæ, satellitio perdurantis consuetudinis in regnum uxorium. Nec sanabatur vulnus illud meum, quod prioris præcisione factum fuerat; sed post fervorem doloremque acerrimum putrescebat, & quasi frigidius, sed desperatius dolebat.

K

N O.

## N O T Æ.

1.9.8.6. a *Naturali ex illa filio meo* ) cui Adeodatus nomen erat: de quo infra.

## V S V S.

Pfal. 75.  
12.

1. Concubina Augustini vovit Deo, se alium virum nescituram, unde colligere potes, vixisse in antiqua Ecclesia consuetudinem vovendi continentiam & castitatem, ut pluribus explicat S. D. in illud Davidis, *Vovete & reddite, Domino Deo vestro omnes &c.*

*Alius, inquit, vovet Deo castitatem conjugalem, ut præter uxorem non noverit aliam. Alii etiam vovent, etsi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere; & ipsi voverunt aliquid majus quam illi. Alii virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt; & isti voverunt plurimum. Alii vovent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus; magnum votum vovent. Alii relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in Societatem Sanctorum; magnum votum vovit, &c. Ita S. D. illustri veteris Ecclesiæ testimonio refellit Sectariorum audaciam, qui vota damnarunt, quia violarunt: plerique ex monasteriorum Apostatis prognati.*

2. Mira Dei longanimitas, in electorum conversione expectanda. Discessit concubina prior ab Augustino, nec tamen ille discessit ab animo peccandi: alteram quæsit consuetudine libidinis urgente, nec prioris pœnitentiam imitatus est. Sed non omnibus hanc Deus exhibet patientiam, in Augustino misericors, in aliis severus, nemini injurius.

## C A P. XVI.

*Solo metu mortis & judicii, se aliquatenus coercitum in voluptatibus carnalibus: alioqui Epicuro palmam daturum & voluptati, quæ extra Deum vera non est.*

1. **T**ibi laus, tibi gloria, fons misericordiarum. Ego fiebam miserior, & tu pro-